



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 3. Quæ Sacramenta imprimunt Characterem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

CAPUT VII.

De Sacramentorum effectibus.

Quæst. I. **Q**UINAM sunt effectus Sacramentorum ?

2. Corinth.
cap. 1.

Resp. Duo præcipui : primus est character, quem imprimunt in anima, juxta illud Apostoli: *Vixit nos Deus qui & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Apostolus characterem designat dum dicit *signavit nos*, sigillum enim hoc habet peculiare, ut signum aliquod imprimat.

ad Ephes. c.
5.

Secundus autem magisque præcipuus Sacramentorum effectus, est gratia sanctificans, quam Sacramenta communicant, juxta illud Apostoli *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Quæst. 2. Quid est character ?

Decret. Eug.
IV. in Conc.
Florent. in
Instr. ad Ar-
menos.

Resp. *Character, ut dicitur in Decreto Eugenii, Est spirituale quoddam signum à ceteris distinctivum, anima indelebiter impressum.* Hæc definitio satis explicabitur per responsa sequentibus quæstionibus danda.

Quæst. 3. Quænam Sacramenta imprimunt characterem ?

Conc. Trid.
sess. 7. Can.
9. De Sacram.
in genere.

Resp. Definitum est à Concilio Tridentino, tria esse Sacramenta quæ characterem imprimunt. *Si quis dixerit, inquit, in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

S. Boniv. 6.
p. brevilos.

Rationem quam tradit Divus Bonaventura, naturam characteris plenius explicabit; Quo-

De Sacramentis. Cap. VII. 39

niam, inquit, triplex est status fidei secundum quem habet fieri distinctio in populo Christiano, in acie Ecclesiastica Hierarchia: scilicet status fidei genita, roborata, & multiplicata. Secundum primum fit distinctio fidelium ab incredulis; per secundum fit distinctio fortium ab infirmis & debilibus. Secundum tertium fit distinctio Clericorum à Laicis. Hinc est, quod illa Sacramenta, quæ recipiunt triplicem fidei statum prædictum, Characteres imprimunt, per quos indelebiter impressos semper distinguunt: ac per hoc nunquam iterari possunt. Quoniam ergo Baptismus respicit statum fidei genita, in quo populus Dei distinguitur ab incredulis, ut Israëlita ab Ægyptiis. Et Confirmatio respicit statum fidei roborata, in quo distinguitur populus fortis ab infirmis, sicut pugiles ab his qui ad pugnam non sunt idonei. Et Ordo respicit statum fidei multiplicata, in quo distinguitur Clerus à Laicis, sicut Levita ab aliis Tribubus. Hinc est quod in his tantum tribus Sacramentis characteres imprimuntur.

Idem luculenter explicat sanctus Thomas: Sacramenta, inquit, nova legis ad duo ordi-
nantur, videlicet ad remedium contra peccata, & ad perficiendum animam in his que pertinent ad cultum Dei secundum ritum Christianæ vite. Quicumque autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari, sicut milites; qui adscribebantur ad militiam, antiquitus solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri: eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines per Sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est quod per ea fideles aliquo spiritali characterè insigniantur.

D. Tho 3. p.
q. 63. art. 3.
in corp.

Quamvis autem homo per omnia Sacramenta fiat particeps Sacerdotii Christi, utpotè percipiens aliquem ejus effectum, scilicet gratiam: non tamen per omnia Sacramenta deputatur ad aliquid agendum, vel recipiendum, quod pertinet ad cultum Sacerdotii Christi,

D. Tho. ibid.
a. 6. in corp.
& ad 1.

sed tantum per tria prædicta: *Ad agens in Sacramento*, inquit idem sanctus Thomas, *pertinet Sacramentum Ordinis: quia per hoc Sacramentum deputantur homines ad Sacramenta aliis tradenda. Sed ad recipientes pertinet Sacramentum Baptismi: quia per ipsum accipit potestatem recipiendi alia Ecclesie Sacramenta: unde Baptismus dicitur esse janus omnium Sacramentorum. Ad idem etiam ordinatur quodammodo Confirmatio, ut infra dicitur: & ideo per hæc tria Sacramenta Character imprimitur.*

Quæst. 4. Character est-ne indelebilis?

Resp. Id jam diximus ex Tridentino supra relato, & ut ait Divus Thomas, *Post hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam: sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, & in iis qui vicerunt, ad gloriam; & in his qui sunt victi, ad pœnam.*

D. Tho. 3. p.
q. 63. art. 5.
ad 3.

Quæst. 5. Sacramenta imprimunt-ne characterem in iis qui illa recipiunt in statu peccati mortalis?

Resp. Imprimunt certè, modò dispositiones omnes necessariae ad validitatem Sacramenti, adhibeantur, tum à conferente, tum à suscipiente Sacramentum. *Satis eluxit*, ait Divus Augustinus relatus in Canone, *Pastoribus Ecclesie Catholicae, & ovem qua foris errabat & dominicum characterem foris accipiebat, venientem ad Christianam unitatis salutem ab*

Can. Quomodo.
do. De Consecr.
dist. 4.